


NUMMUS TRIUMPHALIS

PHILIPPI VILLADANI, MAGNI

RHODIORUM MAGISTRI IMAGINEM REFERENS:

Clari ob Rhodum strenuè ac viriliter de-
fensam. Anno Christi 1522.

BELGRADO expugnato, Solymanus ad occupandam Rhodum magno conatu animum adiecit. Non pauci quidem ex nobilioribus Bassis hanc expeditionem dissuadebant, animo recolentes, ingeni cum dedecore & clade, Insulæ istius expugnationem à Mahumete frustrà tentatam fuisse. Verùm, cum paternorum præceptorum memor Solymanus, nihil aliorum moraretur consilia, sub finem mensis Junij, classe instructâ quadringentorum navium, exercituque viris bis centenis millibus constante collecto, cum valido machinarum bellicarum robore Rhodum apulit. In sextum usque mensem duravit obsidio, inque ea magni compri-
mis Rhodiorum Magistri Philippi Villadani virtus enituit, intrepido animi robore commo-
nstrantis, *Virum fortem solis instar semper sibi similem esse: non extolli rebus secundis; non deprimi adversis.* Cum sapius infelicitè, & aggeribus & cuniculis actis, Turcæ expugnationem tentarent, multisque Rhodiorum virtute casis, dysenteria etiam triginta ferè millibus extinctis, jam Solymanum instituti sui poeniteret: ecce recentem ex Natolia militem Farathes Bassa, Caierbeius vero Alexandria, quadraginta triremes frumento oneratas adducit. Novis hisce confirmatus auxiliis Solymanus, ab urbis expugnatione nihil remisit: præsertim cum magnâ murorum parte destructâ, sublatoque juventutis robore, adversus hostilem impetum Rhodiis satis haud esse virium animadverteret. Sub tempus illud ex Hispania Romam revertebatur Adrianus VI. Romanorum Pontifex, mediocres secum ducens copias, tum etiam aliquot triremes, quas ad subsidium Rhodiis adduci hortabantur, sed frustra, Cardinalis Medices, qui postea ad Pontificiam dignitatem evectus Clemens VII. dictus fuit: & Cardinalis Farnesius, qui factus Pontifex Pauli III. sibi nomen usurpavit. Christianorum itaque Principum auxiliis se destitutum esse animadvertens magnus Rhodio-